

- TEXTE : Fabulae Mirabiles : *Cinerella* -



Olim dives cum uxore et filia, Cynthia nomine, habitabat. Quodam die uxor, bellissima et optima femina, filiae dixit. "Aegresco, filia, et mox moriar, sed si bene et recte vives, tandem bona tibi accident." Paulo post femina periit. Filia, lacrimans et maerens, numquam verborum matris obliviscebatur.

Secunda aestate pater novam feminam in matrimonium duxit. Haec femina duas filias iam pepererat. Noverca et filiae crudeles erant, quae Cynthiam multum laborare cogebant. Ne cubiculum quidem puellae dabant, sed in foco Cynthiae dormiendum erat. Noverca, Cynthiam cineribus sordidam videns, ait "Non est Cynthia, est Cinerella!" Et posthac puella Cinerella potius quam Cynthia appellabatur. Mox quoque pater filiam Cinerellam appellabat. Cum Cinerella misera et sordida esset, memor tamen verborum matris, bona erat.

Olim nuntius ad domum eorum advenit. "Filius regis ballationem nuntiat. Omnes virgines invitantur," ait nuntius. Filiae novercae Cinerellae laetissimae erant, filius regis enim pulcher erat, et ambae ei nubere volebant. Cinerella a patre petivit ut ea ad ballationem adiret, sed patri nihil pecuniae remansit postquam novae vestes provignis emptae erant. Cinerella certe ad ballationem pallam sordidam gerens adire non poterat. Eheu, Cinerellae domi manendum erat.

Nocte ballationis, pater, noverca, et filiae novercae ad ballationem profecti sunt. Cinerella, in foco sedens et lacrimans, repente magnam lucem vidit. Femina pulcherrima in media luce stabat. "Tua iuno sumo Cur lacrimas, Cynthia?" Cinerella feminae de ballatione narravit. "Sine difficultate," clamavit tutrix, et vestes Cinerellae virga tetigit. Statim sordida stola evanuit, et pulchra nova stola apparuit! Et armillae et torquis et pulchri calcei vitrei apparuerunt!

"Gratias tibi ago," suspiravit Cinerella, "sed ad ballationem adhuc adire non possum. Carrum non habeo." Tutrix subridens per hortum ambulavit, peponem et octo mures virga tangens. En, pepo in carrum mutatus est, et octo mures in equos candidos mutati! Tandem passer, qui de arbore alta volaverat et in carro sederat, in agitatore mutatus erat. "Nunc ad ballationem adire potes. At domum tibi redeundum est ante tertiam vigiliam. Illo ipso tempore omnia magica cessabunt." Sic locutus tutrix evanuit. Cinerella in carro ad ballationem profecta est.

Brevi Cinerella ad ballationem pervenit. Tarn pulchra erat ut filius regis, eam videns, statim eam adamare inciperet. Filius regis alias puellas reliquit et cum Cinerella plurimam noctis ballabat. Filius regis tam pulcher erat ut Cinerella laetissima verborum tutricis oblivisceretur. Repente horologium duodeciens resonare coepit, quod erat tertiae vigiliae signum.

Cinerella e regia excurrens lapsa est et calceum amisit. Pro regia Cinerella mures et peponem vidit. Nimis serum erat. Cinerella domum per oppidum cucurrit, et pervenit paulo ante familiam. In foco procumbens familiam de ballatione rogavit. "O, mala erat," respondit filia novercae, "Virgo pulcherrima pervenit neque ulla alia cum filio regis ballare poterat. Tum ea excurrit tam celeriter ut nemo nostrum divinare posset quis esset." Cinerella laeta erat nec quidquam dixit. In foco dormiens de filio regis somniavit.

Interim filius regis miser erat. Nomen virginis quam amabat nesciebat. Deinde legatus, dum cameram ballationis lavat, calceum Cinerellae vitreum invenit. Statim calceum vitreum filio regis monstravit. "Virgo quae hunc calceum vitreum gerebat mihi invenienda est!" clamavit filius regis, et legatos convocavit. "Invenite, legati, puellam quae hunc calceum vitreum gerere possit. Eam in matrimonium ducam," ait filius regis.

Cum legatus ad domum Cinerellae pervenit, filiae novercae calceum vitreum induere conatae sunt. Pes unius filiae nimis magnus erat neque ea calceum induere poterat. Noverca Cinerellae, quae ad finis regis fieri cupierat, digitos e pede filiae amputavit. "Nunc calceum induere potes," filiae dixit. Legatus autem, sanguinem videns, calceum non filiae novercae esse scivit. Altera filia, cui magni pedes quoque erant, suam calcem amputavit ut pedem in calceo commodaret. Iterum legatus sanguinem videns filiam novercae relegavit.

Legatus deinde Cinerellam vidit et petivit ut ea calceum indueret. "A ballatione afruit!" clamavit novercae, "calceus istius esse non potest!" Sed legatus, filii regis iussu, calceum vitreum in pede Cinerellae imponere conatus est. Simul ac calceus in pede positus erat, legatus se sponsam filii regis invenisse scivit. Cinerellam domo ad regiam duxit. Cinerella et filius regis, matrimonio coniuncti, feliciter posthac habitabant, et verba matris vera facta sunt. Et illa est fabula Cinerellae.